



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Conclusio affirmativa statuitur, & probatur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

vine revelationis, quia substantialia, prout subsistant tali luminī, indunt eandem certitudinem & immutabilitatem, ac naturæ universales; unde quia Theologia nūtur luminī divinæ revelationis, virtualis saltem & mediata, & est radicaliter saltem & obiectivè supernaturalis, ad singularia se extendit, & eque sub tali lumine contemplatur, ut in disp. procemiali Theologiae art. 7. in solutione objectionum declaravimus.

Ad primam confirmationem respondet S. Thomas hic art. 1. ad 3. quod cognitio singularium non pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ secundum cognitionem speculativam; pertinet tamen ad perfectionem eius secundum cognitionem practicam, quæ non perficitur absque cognitione singularium, in quibus est operatio, ut dicitur in sexto Ethicorum: unde ad prudentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio præsentium, & providentia futurorum, ut Tullius dicit in sua Rhetorica. Quia igitur Christus habuit plenitudinem prudentiæ secundum domum consilij, consequens est quod cognoverit omnia singularia præsentia, præterita, & futura. Ubi obiter advertendum est, quod licet hæc ratio S. Doctoris solum videatur ostendere, Christi animam cognoscere huiusmodi singularia per prudentiam, quæ est habitus distinctus à scientia infusa; tamen rectè perpendatur, & radicatus penetretur, constabit ex illa rectè deduci Christi animam per scientiam infusam talia singularia cognoscere; nam per hanc scientiam Christus habet cognoscere omnia quorum cognitio quomodolibet pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ, & hoc propter maximam ejus universalitatem; unde si cognitio singularium pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ secundum cognitionem practicam, & requiratur ad prudentiam, dicendum est Christum per scientiam infusam illa cognoscere.

Dices, Prudentia solum respicit agibilia, hoc est pertinentia ad actiones humanas, est enim recta ratio agibilium: Ergo hæc ratio D. Thomæ non probat Christum per scientiam inditam cognovisse alia singularia factibilia, vel purè speculabilia, quæ ab arte, vel ab intellectu speculativo cognosci possunt.

Huic instantiæ optimè respondet Cajetanus hic art. 1. §. Ad certum dubium: quod videlicet in Christo anima fuit plenitudo prudentiæ, non solum monastica, sed etiam politicæ, imò & regaliæ ac monarchicæ in ordine ad omnes creaturas in singulari; quia Christus secundum humanitatem ratione unionis hypostaticæ cum Verbo habuit dominium & potestatem in omnia creata, vel immediatè, vel quatenus aliquo modo ordinantur ad electorum salutem, ut colligitur ex illo Psalmi 8. Omnia subiectioni sub pedibus ejus. Quem locum expendens Apostolus ad Hebr. 2. illumque explicans de Christo, ut est homo, addit: In eo enim quod omnia ei subiectioni, nihil dimisit non subiectioni ei. Unde ex eo quod singularium cognitio ad prudentiam requiratur, rectè infert S. Thomas, Christum cognovisse omnia singularia præsentia, præterita, & futura.

Ad locum verò ejusdem S. Doctoris desumptum ex lib. 3. sententiarum respondetur, D. Thomam intelligendū esse de cognitione, quæ habetur per scientiam speculativam, vel naturalem; ita ut sensus verborum ipsius sit, quod Christus non cognovit per scientiam inditam, quæ est speculativa, vel naturalis, gesta particularium hominum; hæc enim non pertinent ad

scientiam speculativam, quia non perficiunt intellectum speculativum; neque ad scientiam naturalem etiam practicam, quia sunt liberae; cum quo tamen stat, quod ea scientia practicā simul & speculativā cognoverit, ut necessariò inferretur ex doctrina, quam ibid. idem S. Doctor tradit.

Ad secundam confirmationem nego quod ad hoc ut anima Christi per scientiam inditam omnia singularia cognoscat, requirantur infinitæ species, licet enim species intelligibiles, quibus ea cognoscit, non sint tam universales, ac Angelicæ, non sunt tamen tam particulares, ac illæ, quæ abstrahuntur a phantasmatis; unde eadem species repræsentat clarè & distinctè naturam specificam, & omnia individua ipsius, quod convenit speciebus Angelicis magis particularibus; & hoc quia sunt quadam similitudines derivatæ à divina essentia, ut habet rationem speciei intelligibilis, ut in probatione secundæ partis nostræ conclusionis declaravimus.

ARTICULUS III.

Utrum anima Christi Domini per scientiam supernaturalem infusam entia, seu dona supernaturalia creata quidditativè, & comprehensive cognoscat?

Utrum certum & indubitatum supponimus, huiusmodi entia, seu dona, ab anima Christi per scientiam supernaturalem infusam cognosci: hoc enim expresse docet S. Thomas hic art. 1. ubi solum Dei essentiam excipit ab objecto scientiæ supernaturalis infusæ, & ratione illius probatur. Nam omnia, quæ per revelationem hominibus innotescunt, ab anima Christi per scientiam infusam supernaturalem cognoscuntur: Sed dona supernaturalia creata innotescunt per revelationem hominibus: Ergo anima Christi per scientiam supernaturalem infusam ea cognoscit. Solum ergo difficultas & controversia est inter Theologos de modo, quo illa cognoscit, & an ea quidditativè, & comprehensive cognoscat? Bannez enim 2.2. qu. 7. art. 1. dubio unico, ad tertium argumentum Cajetani, & Alvarez disp. 118. & 119. de auxilijs, docent entia creata supernaturalia, ut gratiam, fidem, charitatem, ab anima Christi per scientiam supernaturalem infusam non esse cognita evidentiā rei in seipsa, quæ est evidentiā cognitionis quidditativæ, sed tantum evidentiā testimonij divini, quæ est evidentiā rei in attestante. Suarez verò hic disp. 27. sect. 3. asserit quod licet omnia entia supernaturalia, quæ dicunt intrinsecam habitudinem ad Deum prout est in se, possint videri & quidditativè cognosci per hanc scientiam, non tamen cōprehendi. Alij verò Theologi tam domestici, quam extranei, cognitionem non solum quidditativam, sed etiam comprehensivam illorum entium animæ Christi ratione scientiæ supernaturalis infusæ concedunt.

§. I.

Hæc sententia ut verior eligitur, & duplici conclusione stabilitur.

Dico primò: Christus per scientiam infusam supernaturalem cognoscit quidditativè omnia dona supernaturalia, quæ de facto sunt producta.

Probatur conclusio ratione D. Thomæ hic art. 1. Per scientiam infusam supernaturalem scit

redacta

reducta ad actum omnis potentia obedientialis, quæ in anima Christi invenitur in ordine ad cognitionem quæ potest haberi extra verbum: Sed entia supernaturalia creata possunt extra verbum quidditative cognosci, & consequenter anima Christi ad huiusmodi cognitionem potentiam obedientialem habet: Ergo illa entia fuerunt ab anima Christi cognita per scientiam supernaturalem infusam. Major patet ex dictis supra art. 1. Minor verò, in qua est difficultas, sic ostenditur. Quæ per propriam speciem in seipsis quidditative representari possunt, mediante illa in seipsis possunt quidditative cognosci: Sed entia supernaturalia creata possunt per propriam speciem in seipsis quidditative representari: Ergo & extra verbum quidditative cognosci. Major est certa: nam omnis species representativa objecti potest esse principium cognitionis illius: Sed species immediate representans entia supernaturalia creata, hequit esse principium cognitionis illorum in verbo, nam visio beatifica, quæ ad res creatas terminatur in verbo, soli divinæ essentia ut unitæ per modum speciei immediate Deum representantis, & illo mediante creaturas, inniti potest: Ergo quæ per propriam speciem in seipsis quidditative representari possunt, possunt in seipsis extra verbum quidditative cognosci.

Minor verò multipliciter suadet: Primò quia entia supernaturalia creata sunt finita & limitata entitatis: Ergo & finita representabilitatis, & consequenter representabilia per speciem limitatam & finitam.

Secundò, quia talia entia sunt limitata quidditatis, possunt per cognitionem finitam attingi quidditative, ut patet in visione beatifica; quæ licet finita sit, illa tamen quidditative cognoscit: Ergo ob eandem rationem possunt quidditative per speciem creatam representari.

Tertio, Si entia supernaturalia creata non possent per speciem creatam quidditative representari, maxime quia terminantur ad Deum ut est in se. Sed hæc ratio nulla est: Ergo per speciem creatam quidditative representari possunt. Major est præcipuum Adversariorum fundamentum. Minor verò sic ostenditur. Ut aliquid respiciens aliquem terminum representetur quidditative, non est necessarium quòd terminus inspectus quidditative representetur, ordo enim dependentiæ creaturarum à Deo quidditative representatur, terminò istius ordinis, scilicet Deo, non representatò quidditative: Ergo quòd prædicta entia Deum respiciant ut terminum vel objectum, non impedit quin per speciem creatam quidditative represententur, Deo ab illis inspecto, quidditative non representatò.

Dico secundò: Probabilius est, entia supernaturalia creata, ut gratiam, fidem, charitatem, ab anima Christi per scientiam infusam supernaturaliter comprehendi.

47. Probatur breviter: Omnia ista entia possunt cognosci in seipsis & extra verbum cognitione comprehensiva, subindeque per scientiam infusam: cognitio enim rerum in verbo non ad scientiam infusam, sed ad visionem beatificam spectat: At supposito quòd illa entia per scientiam infusam comprehensive sunt cognoscibilia, non est cur talis cognitio anime Christi, & scientiæ illi infusæ denegetur: Ergo &c. Minor patet, nulla enim perfectio possibilis deneganda est humanitati Christi, nisi aut finis demp-

onis repugnet, aut cum visione beatifica sit impossibilis, quorum neutrum contrarietur test cognitioni comprehensive entium creaturarum supernaturalium per scientiam infusam supernaturalem. Major verò suadet: Omnia entia finita & limitata perfectionis potest per cognitionem finitam & limitatam comprehendere: Sed entia supernaturalia creata, ut gratia, fides, charitas, visio beatifica, sunt finita & limitata entitatis & perfectionis: Ergo possunt per cognitionem finitam & limitatam, subindeque per scientiam infusam supernaturalem comprehendere. Minor patet. Major probatur. Quòd entia finita & limitata cognoscibilia sunt: quia nam cognoscibilitas passiva consequitur entitatem & coherensuratur cum illa: Sed quòd est finita cognoscibilitas, per lumen & cognitionem finitam comprehendere potest; vis enim cognoscitiva finita cognoscibilitatem objecti limitatam adæquare potest: Ergo quòd est finita & limitata entitatis & perfectionis, per lumen cognitionem comprehendere potest.

Respondet Suarez, quòd quamvis entia supernaturalia creata sint finita & limitata entitatis & perfectionis, quia tamen Deum in ratione termini vel objecti immediate respiciunt, non possunt per scientiam infusam anime Christi cognosci quantum cognoscibilia sunt: quia perfectius cognoscitur terminus, vel objectum actus, vel habitus, eo ipse actus vel habitus cognoscitur perfectiori modo: Sed Deus, quicquid terminus, vel objectum immediatum entium supernaturalium, perfectius per visionem beatam cognoscitur, quam per scientiam supernaturalem infusam: Ergo ipsa entia supernaturalia creata perfectius per visionem beatam, quam per scientiam infusam cognoscuntur, indeque per huiusmodi scientiam non cognoscuntur quantum cognoscibilia sunt.

Verum si hic discursus Suaræ, qui est præcipuum ejus fundamentum, aliquid probet, contra nec per ipsam visionem beatificam possunt entia supernaturalia creata comprehendere, sed tantum per cognitionem divinam; nam solum per ipsam cognoscitur unde quaque perfectio Dei, qui est terminus, vel objectum immediatum illorum entium: Sed hoc absurdum est, cum eorum sit omnia entia creata, tam naturalia, quam supernaturalia, à Christi anima per scientiam beatam, seu visionem beatificam comprehendere: Ergo hic discursus Suaræ non valet, ut magis ex solutione argumentorum patebit.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obijciens primò contra prædictam conclusionem: Gratia sanctificans, lumen gloriæ, visio beatifica, & unio hypostatica, sunt entia, seu dona supernaturalia creata: Sed illa per scientiam supernaturalem infusam quidditative cognosci nequeunt: Ergo Christus per scientiam infusam supernaturalem non cognovit quidditative omnia entia, seu dona supernaturalia, quæ de facto sunt producta. Major patet. Minor verò probatur quantum ad singulas partes. In primis quòd gratia habitualis non possit ab anima Christi per scientiam infusam quidditative cognosci, sic ostenditur. Gratia habitualis non potest quidditative cognosci, non cognoscitur etiam quidditative divinæ essentia: Atqui divina essentia non potest quidditative cognosci.